





B. N.  
309.

Xm. 195.

9

DISPUTATIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS  
VIII.

*Ex Capitibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
11. 12. & 13. Libri tertij Galeni de sim-  
plicium medicamentorum facultati-  
bus deprompta:*

ET  
Publici exercitij gratia in inclyta Argen-  
toratensium Universitate proposita

à  
MELCHIORE SEBIZIO,  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-  
reo, ac Reipubl. Archiatro:

*Respondente*  
JOHANNE ANDREA PLANERO,  
ESSLINGENSI.

✽( : )✽  
ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.  
M. DC. XLVIII.

1610  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATES  
Videtur in  
Capitulo 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.  
1611  
MICHAEL SEBASTIO  
DOCTOR ET PROFESSOR  
Medicinae in  
1612  
JOHANNES ANDREA PLATNERO  
1613  
1614  
1615  
1616  
1617  
1618  
1619  
1620  
M. DC. XLVII





# PROBLEMA

## I.



Um ad tertium hujus Operis librum nobis progrediendum sit, quæritur, quidnam Galenus in primo illius capite agat? Proæmium id est totius libri: in quo primum causam prolixitatis horum librorum exponit: deinde quid duobus precedentibus traditum sit, breviter recenset: tertio quid deinceps docere velit, edisserit.

Primum igitur protestatur, & DEOS amicosque, quæ ut opus istud aggredere, & quæ ab aliis perperam de medicamentorum facultatibus prodita sunt, commemoraret, assidue sunt hortati, testes se habere dicit, quod nihil, nisi quod ad curandos morbos utile foret, hoc tractatu scribere decreverit. Quod autem prolixior fuerit & verbosior, non sibi, sed iis Medicis, quæ ἰθαυὰ, probabilia quidem, ἀλλ' ἐκ ἀληθείης, sed non vera docuerunt, ac propterea confutandi erant, imputandum esse monet. Vereri se tamen adhuc arbitratur, ne quia nimis paucis illos reprehenderit, σοφισμὰ quædam Adolescentes cum illis conversantes à veritatis tramite abducant.

Q 2

Quod

Quod quidem fieri facile posse existimat, tum quia logicarum methodorum sunt ignari, tum quia solvendorum paralogismorum imperiti. Nam si in illis essent exercitati, & ab horum soluendi ratione instructi, sicque informati ad lectionem horum & similium librorum accederent, eveniret, ut & ab illis, qui falsis demonstrationibus utuntur, magis sibi caverent: & Galenum συντόμως τ' ἀληθῆς, veritatem compendiosè tradentem rectiùs intelligerent. Quia verò vel ipsorum Medicorum plerique in istis minimè sunt versati: nonnulli quoque inter ipsos ἀργότεροι φύσει τὸν λογισμὸν, ingenio naturâ tardiore præditi: ideò nisi suppetiis istis, quib. σοφισματὰ redarguuntur, juniores juvarentur, haud agrè in Sophistarum sententiam pertraherentur. Istos igitur, quod attinet; sanè etiam deesse quippiam huic operi videri posset. Verùm, cùm ob diversitatem Lectorum, qui & naturâ, & ætate, & ἔξει, habitu, inter se discrepant, ad omnes orationem accommodare non liceat, quod orationis genus visum est maximè eorum parti utilissimum fore, id superioribus duobus libris Galenus secutum se esse profitetur.

In eorum verò primò de Aqua & Aceti viribus disservit, eorumque exemplo demonstravit, quo pacto facultates simplicium medicamentorum sint indagandæ.

In secundo idem ostendit exemplo Olei, pauculis quibusdam de Rosaceo adjectis.

In

In hoc autem tertio ejusmodi instituetur sermo, qualis initio statim haberi coeptus est: idq; explicatis primùm cujusq; vocis significationibus: quo facto, tractatus istius οἶον σοιχεῖα, velut elementa, sive literæ tradentur: dein velut ad συλλαβὰς, syllabas accedetur: ex quib. totius Operis finis, ad quem doctrina hæc contendit, promptè sequetur.

Quæ Galeni verba, ut rectiùs intelligantur, sic explananda sunt. Per elementa, sive literas, inaudit facultates primas, quæ à primis quatuor qualitatibus tactilibus proficiscuntur. Hæ enim primæ & simplicissimæ esse videtur.

Per syllabas intelligit facultates secundas. Ut enim syllabæ fluunt ex literis: ita secundæ qualitates & facultates à primis oriuntur. Tertiæ facultates ut dictiones & verba se habent. Quemadmodum enim dictiones fiunt ex syllabis, hasque suas causas agnoscunt, sic facultates tertiæ à secundis dependent. Quartæ similes videntur orationi integræ. Nam sicuti hæc ex dictionibus componitur: ita quartæ facultates à tertiis originem trahunt. De quibus facultatibus agitur quinque libris prioribus in genere: sex verò posterioribus in specie: quibus declaratur, quæ qualitates, quæque facultates singulis simplicibus, à vegetabilibus, animalibus, & mineralibus fossilibusq; corporibus petitis, insint. Lib. 3. c. 1.

Vide-sis facultatum differentias in prolegomenis hujus Operis, disput. 1. traditas.

Q 3

II. Quæ-

II.

Quænam igitur sint illæ nominum & ver-  
 eum, h. e. calidi, frigidi, humidum & sicci δια-  
 γίσις, sive διαγίσις, distinctiones? Galenus  
 respondet, eas traditas esse tum l. 4. de temper.  
 tum l. 1. hujus Tractatus. At tamen, se illas hic  
 breviter repetiturum.

Vnum quodque corpus, inquit, quod calidum,  
 frigidum, humidum, aut siccum est, tale dicitur  
 & apparet dupliciter: vel κατὰ τὴν ἰαυτῆς φύσιν,  
 ex sua natura: vel προσειληθὸς ἐπικλήσιν τινα ποιό-  
 τητα, assumpta qualitate aliena, sive adventitia:  
 H. e. aut qualitates istas habet proprias & natu-  
 ras, aut aliunde acquisitas: quo nomine etiam  
 ἀσцитία & extranea nominantur. Consuevimus  
 autem dicere, quod ex sua natura tale est, scil.  
 aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut  
 siccum, tale esse, & videri, πρώτως τε καὶ κατ'  
 ἰαυτῆς, καὶ διαυτῆς δυνατόμε, primò, per se, & secun-  
 dum se potentia: quod verò ἀσцитίαν ἀκquisi-  
 vit qualitatem, tale esse & videri κατὰ συμβε-  
 βήκως, per accidens.

Porro, que per se & propria sua natura, aut  
 calida, aut frigida, aut humida, aut sicca sunt,  
 quedam ἐνέργεια, actu talia existunt, quedam  
 δυνατόμε, potentia.

Differt autem hic δυνατόμεος modus ab eo, quem  
 paulò antè dicebamus. Illic enim ex adverso op-  
 ponebatur illi, quod per accidens dicitur: hic ve-  
 rò ei, quod tale est κατ' ἐνέργειαν, actu.

Rur-



Rursus qua ενεργεια, actu dicuntur, alia quidem απλως, absolute calida, frigida, humida, & sicca dicuntur, ut Elementa: alia καὶ επικρατειαν, per exuperantiam: ut homo, equus, bos, canis, & animalia omnia: alia τρὸς τὸ σύμμετρον, idque vel ὁμογενές, sui generis: vel ὁμοειδές, sua speciei: alia τρὸς ὄλιγον τὸ ἐπίσυχον, ad obvium quidvis.

Ad σύμμετρον sui generis dicitur leo cum homine comparatus, quia unum idemque genus est utriusque, nempe animal.

Ad σύμμετρον sua speciei, homo aetate florens cum puero collatus. Uterque enim sub eadem specie continetur, & homo vocatur.

Ad quodvis obvium, ut Dion cum Theone comparatus. Quin & corporum, que δυναμις talia, aut talia dicuntur, unumquodque ut ad id, quod est καὶ ενεργειαν, actu, relatum, necessario dicitur. Id quidem, quod facile accenditur, ad id, quod actu est απλως, absolute calidum. Hoc vero, quod animalia calefacit, ad id, quod est καὶ επικρατειαν, per exuperantiam. Sic quod hominem calefacit, calidum est δυναμις ut ad hominem: quod vero bovem calefacit, aut equum, ut ad bovem & equum. Similiter, hoc huic, v. g. homini, illud vero illi calidum, frigidum, siccum, aut humidum est, illius unius naturae comparatum. Lib. 3. c. 2.

### III.

Ad quid, & quæ nominum significata distinxisse Galeno conduxerit? Galenus respon-

2 4

det.

det, se ex hac nominum διακριται, ἢ διαπέσαι, non parum ad consequendam ὑγίαιαν, temperamenti, cognitionem adjutum esse. Nam si quid ad hominem dicatur calidum, à ceteris omnibus animalibus recedendum est, & in ipso duntaxat homine periculum faciendum, ipsaque simplicis facultas exploranda. Si verò quid tale statuatur ad equum, bovem, cervum, aut aliud aliquod animal, in eo similiter periculum sumendum erit. Addit autem, se interim & illos quoque refutasse, qui ex consistentia, colore, odore, sapore, gravitate & levitate cujusque medicamenti facultatem invenire conati sunt. Errarunt enim & hallucinati sunt plurimum: quia non veris & solidis usque sunt principijs. Principia quippe & elementa huius tractatus sunt primæ quatuor qualitates, quæ secundum Hippocratem, ut lib. I. de Elem. declaratum, sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: quæ in simplicibus haud agrè inveniuntur, dummodò dictæ nominum distinctiones diligenter observentur: quia non omnia simpliciter talia, vel talia existunt. Adhibendum quoque discrimen est alimenti & medicamenti, quemadmodum lib. I. c. 1. huius Commentarij ostensum. Nam medicamentum id esse dictum fuit, quod alterat in qualitate: alimentum verò, quod substantiæ corporis assimilatur. Hinc progressus ad qualitatium inventionem factus, quæ primæ sunt medicamentorum virtutes, & velut aliarum elementa, L. 3. c. 3.

IV. In

IV.

In quonam alterantium genere medicamentorum facultates consistant, siquidem omnia alterare dicantur? *Vt appositè ad hanc questionem respondeatur, sciendum, duplices esse in genere alterationes: alias εἰδωτοὺς, specificas, quæ & πρώτος, & κρύως alterationes appellantur: alias καλαχενσικῶς potius, quam κρύως alterationes: cujusmodi sunt illæ, quæ corporis nostri partes contundunt, contrahunt, comprimunt, laxant, distendunt, incidunt & dissecant &c. In primo autem genere medicamentorum facultates continentur: non in secundo: & primum istud genus à primis elementorum qualitatibus dependet, non à secundo. Id quod Galenus sic probat.*

*Quæ res faciunt, ut corpora transmutari, veteremque naturam exuere, & in aliam transire speciem queant, ab ijs dependent alterationes primi generis. At quatuor elementorum qualitates hoc faciunt. Ergo ab ijs dependent alterationes generis primi.*

*Rursus, quæ res id præstare nequeunt, ab iis prima illæ alterationes minimè dependent. Sed res, quæ vel contundendo, partes quadantenus alterant, ut lapis & plumbum: vel segregatas coarctando id efficiunt, ut vincula: vel secando hoc peragunt, ut vitrum & gladius; neutiquam corpora transmutant, neque faciunt, ut à propria natura recedant. Ergo ab iis alterationes gene-*

ris primi minimè dependent, neque ab illis profi-  
ciscuntur.

Minor prioris syllogismi confirmatur. Si ni-  
hil est eisdem in eisdem, ex specie in speciem, mutari  
potest, citra excalesfactionem, refrigerationem, hu-  
mectionem, & resiccationem, sequitur, quatuor  
elementorum qualitates illas esse causas, ut cor-  
pora transmutari substantialiter possint. At prius  
verum est. E. quatuor elementorum qualitates  
sunt illa causa, quae faciunt, ut corpora substan-  
tialiter transmutari possint.

Si quæras, quid sit est eisdem in eisdem multa  
βαλλειδαι? Respondet Galenus, esse transmutari  
substantialiter, ita ut ex pane, v. g. aliove quovis  
cibo generentur quatuor humores alimentarij,  
sanguis, pituita, & bilis utraque: & ex his ite-  
rùm pinguedo, os, nervus, caro, arteria, vena,  
& in summa quævis alia corporis nostri particula.

Minor syllogismi posterioris ita probatur.  
Quæ verè & propriè loquendo non alterant, illa  
neque corpora substantialiter transmutant. At  
res contundentes, secantes, constringentes, &c.  
verè & propriè loquendo non alterant. Ergo ne-  
que corpora substantialiter transmutant.

Hæc Minor iterùm stabilitur. Quibus rebus  
corpora à propria natura non recedunt, sed sub  
sua forma ac specie pristina manent, illa verè non  
alterant. At rebus contundentibus, secantibus, con-  
stringentibus &c. corpora à propria natura non  
recedunt, sed sub sua specie ac forma manent.  
Ergo tales res verè non alterant. Sunt

Sunt igitur πρώται καὶ σοιχειώδεις εἰδοποιοὶ ποιότητες quatuor, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: hicque queritur, quamnam earum quodvis medicamentum sua in mistura predominantem habeat? Ad quam questionem plerique, qui illas inquisiverunt, responderunt, nulla adhibita distinctione ejus, quod v. g. calidum, frigidum, humidum, siccumve est ἀπλῶς, & illius, quod tale est πρὸς ἄνθρωπον; cumq; omnia, quae talia sunt, talia esse dixerint ἀπλῶς, ideò graviter hallucinati sunt, publicèque testatum fecerunt, se Aristotelis & Theophrasti scripta ἀμυθῶς legisse. Lib. 3. c. 4.

V.

Quaedam sit inter Philosophos naturales & Medicos discrimen, quando res calidas, frigidas, humidas & siccas esse pronunciant? Philosophi, quando res tales esse statuunt, πρὸς τὴν ὅλην φύσιν respiciunt: Medici verò πρὸς ἄνθρωπον μόνον. Cum verò Philosophi de temperamento corporum decernunt, quolibet eorum respectu totius naturae dupliciter tale, vel tale esse dicunt: nimirum ἀπλῶς, absolute, & ἐπιερατεία, per exuperantiam. Ἀπλῶς quidem elementa calida, frigida, aut sicca esse dicunt: hominem verò, equum, bovem &c. καὶ ἐπιερατεῖαν.

Medici, cum simplicium facultates indagant, πρὸς τὴν, ad aliquid semper respiciunt.

Quodsi roges, quodnam sit illud, πρὸς ὃ remedia talia, vel talia appellentur? Responderet Galenus,

lenus, esse hominem, qui Medicae artis subjectum est. Exemplo res fiet clarior. Cum de aqua marina *ἠράσει* aliquid statuendum, non id quaerimus, an in illa humidi simpliciter plus sit, quam sicci (notum quippe omnibus est, humiditatem praeponderare) sed an hominem siccet, an humectet? Cumque hominem siccare experientia doceat, credendum, illam non simpliciter & absolute, sed hominis respectu siccam esse.

Sed inquires, quomodo ego cognoscam, aquam marinam siccare hominem? Respondet Galenus, cognosci hoc, si homini applicetur vel in forma balnei, vel in forma embrochae, vel in forma foveae, si scilicet ea lana, aut spongia imbuatur: item, si emplastris & ceratis admisceatur: non negligendo distinctionem libro primo aliquoties inculcatam, quod semper id, quod ex accidenti quandoque contingit, ab eo, quod a propria medicamento natura proficiscitur, separandum sit. In hoc enim *ἡ δὲ τὸ κύριον τῆς ἐπιπέσεως*, omnis inventionis summa consistit: quam nemo illorum Medicorum attingere potuit, qui in dignoscendis simplicium facultatibus & qualitatibus non ad hominem, sed ad naturam totam respexerunt, qui tamen decepti sunt propterea, quod *ὁμοθυμίαν* minimè animadverterint. Lib. 3. c. 5.

#### VI.

Cum Philosophi corpora calida, frigida, humida & sicca esse dicant, vel *ἄπλωσ*, vel per *ἐπιπέσεσιν*, quaeritur, an quod posteriori modo ta-

do ta-

do tale est, uno & simplici modo tale sit? Respondet Galenus, quod per ἐπιπράτειαν tale dicitur, bifariam dici: τὸ μὲν κατὰ τὰς ὀγκοὺς τῆς ἐσίας, secundum substantiæ molem: τὸ δὲ κατὰ τὴν τῶν ποιότητων ἐνέργειαν, secundum qualitatum effectum: h. e. vel ratione quantitatis, quando corpus aliquod plus talis, vel talis substantiæ, calidæ scil. aut frigidæ &c. in se habet: vel ratione qualitatis, cum qualitatem habet fortiolem & intensiorem. Aquæ enim, v. g. summè ferventis cadi duo, cui cadus unus aquæ maxime algentis infusus, calidi dicuntur, quia plus de aqua fervente, quam de algente in se continent. Contrà, aqua marina, quamvis plus habeat partium humidarum, sicca tamen perhibetur, quia magis siccatur, quàm humectat. Est ergò propter humide substantiæ molem per exuperantiam, & quantitatis excedentis ratione humida: secundum qualitatis verò effectum sicca: quoniam minus illud sicci, quod inest, efficacius est, quàm humidum, & magis virtutem suam exerit, quàm humidum, quod vires alienas facillè recipere potest. L. 3. c. 6.

VII.

Utrum Philosophi & Medici eodem modo de qualitatibus & temperaturis rerum doceant? Negat Galenus, & discrimen inter illos hoc esse dicit, quòd Philosophi aliter calidorum, frigidorum, humidorum siccorumque nomine utantur, quàm Medici. Illi enim, uti supra dictum, res tales, vel tales, esse dicunt ὁπλῶς, & per



Et per ἐπιπέριαν : Medici verò ἐπεὶ ἀνθρώπων  
respiciunt, cui, tanquam artis suae subiecto, me-  
deri tenentur, & id calidum, frigidum &c. sta-  
tuunt, quod hominem calefacere & refrigerare  
valet. Deinde Philosophi rationibus qualitates  
rerum investigant : Medici illas ἐξ ἐναργῶς φαι-  
νομένων, ex iis, quae evidenter ad sensum appa-  
rent, colligunt & venantur. Lib. 3. c. 6.

### VIII.

Quænam sint illæ rationes, siue argumen-  
tationes, quibus Physicî corporum qualita-  
tes & temperaturas indagârunt? Galenus  
exempli gratia aliquot proponit.

Prima petita est à plantis, in genere, quas  
omnes calidas per exuperantiam esse opinaban-  
tur, quod calor in illis frigus superet. Argumen-  
tabantur autem hunc in modum, præsupposito  
hoc fundamento, quòd frigus contrahat, constipet-  
que, & substantiam reddat immobilem, aut mo-  
bilem agrè ac difficulter : calor verò rarefaciat,  
fundat, coquat, moveat.

Quicquid ergò ex terra gremio alimentum  
attrahit, attractum alterat & concoquit, adhuc  
incrementum capit, germinat, & fructum profert,  
id per exuperantiam calidum sit necesse est:  
quoniam hæ actiones sine caloris ope præstari  
nullo modo possunt. Atqui plantæ in genere  
omnes alimentum ex terra gremio attrahunt,  
attractum alterant, coquunt, distribuunt, incre-  
mentum capiunt, germinant, fructumq; proferunt.

Ergo



Ergo per exuperantiam calida sunt, vincitque in illorum mixtura τὸ θερμὸν τὸ ψυχρὸν: sic tamen, ut alia sint calidiores, frigidiores alia.

Secunda desumpta est in specie à Rosis, quas validas esse eodem argumento probabant.

Etenim, quod corpus nutritur, augetur, floresque producit multos, illud calidum est: quia neque nutritio, neque auctio, neque generatio, neque, quæ has omnes actiones præcedit, concoctio, absque calore fieri potest. At rose nutriuntur, augentur, floresque multos producant. Ergo calidæ merito dicuntur.

Tertia est de Oleo & Pinguedine. Nam quæ citò & faciliè inflammantur, calida sunt. Oleum & Pinguedo citò & faciliè inflammantur. Ergo calida.

Quarta de corporibus dulcedine imbutis, quæ calida esse, sic confirmabant. Quæ sunt οἰκιστάλα καὶ ὀμοίτάλα τὰς κρᾶσεις ἡμῶν, familiarissima & similima nostræ naturæ, ea calida sunt: quoniam & ipsa natura nostræ calida existit. At dulcia sunt naturæ nostræ familiarissima & similima. Ergo sunt calida. Lib. 3, c. 6.

#### IX.

Quid Galenus de hoc Physicorum placito iudicet? Dicit, ista rectè ab iis & queri, & proferri: à Medicis autem non rectè. Ratio est: quoniam alius ipsis est scopus præfixus. Idèoque iisdem uti argumentis non debent: quoniam non de eodem modo calidis, frigidis, humidis, aut siccis agunt,

agunt, neque eodem modo horum nominibus  
utuntur. Philosophi enim περὶ τῆς ὅλης φύσεως,  
de tota natura differunt, & quæ calida, v. g. sint  
καὶ ἐπικρατίων investigant: Medici autem in-  
quirunt ea, quæ talia sunt πρὸς ἄνθρωπον: eaque  
calida, frigida, sicca, humidave pronunciant, quæ  
artis Medicæ subjectum, Hominem, calefacere, re-  
frigerare, siccare, aut humectare queunt. Proinde  
neque rosa, neque alia quævis planta calida sta-  
tui debet, quòd ἐν τοῖς ἐνεργείαις ἐπικρασίῃ τὸ θερ-  
μὸν, in effectibus & operationibus calor prædomi-  
netur: sed id simplex calidum appellandum,  
quod nostra corpora calefacit. Nam si ad actio-  
nes recensitas, h. e. ad nutritionem, auctorem, ge-  
nerationem, & quæ eas præcedunt, aut conse-  
quuntur, respicere vellemus, statuendum sanè fo-  
ret, omnes in universum plantas, imò multò ma-  
gis omnia animalia calida esse, quoniam plures  
exercent operationes, quàm planta. At conse-  
quens est absurdum. Ergo.

Minor probatur. Si omnes planta & ani-  
malia omnia propter actiones istas calida sta-  
tuenda essent, calidæ quoque nature esse & pa-  
paver, & mandragoram, & cicutam, & salaman-  
dram, dicendum foret. At omnes ἐξ ἐνὸς στόματος  
uno ore ista frigida esse asseverant. Ergo neq; stir-  
pes, neque animalia propter actiones enumeratas  
calida pronuntianda sunt.

Hæc Minor rursus stabilitur. Quæ planta  
sunt ναρκωτικά, sensum stupefaciunt, & quæ  
anima-

animalia ignis contactum multo tempore susti-  
nere valent, ea merito frigida temperatura esse  
dici debent. At papaver, mandragora, & cicuta  
sunt ex communi hominum confessione vaporosi-  
tà: Salamandra verò in igne vivere, ejusque  
contactu diu sustinere communiter perhibetur.  
Ergo sunt frigida natura.

Merito igitur illi carpuntur Medici, qui Physi-  
corum utuntur rationibus, & in aliis ad totam  
naturam respiciunt: in hisce verò ad hominem:  
cum tamen eodem modo procedendū sit in omni-  
bus, & omnia ad hominem examinanda, omniaque  
frigida, calida, humida, siccaque dicenda, quæ  
humanum corpus calefaciunt, refrigerant, hume-  
stant, aut siccant.

Si quæras, num ea, quæ homini talia sunt,  
etiam in universum talia dici debeant omnibus  
animalibus? Respondet Galenus negando: idque  
exemplo cicutæ illustrat: & sic argumentari vi-  
detur.

Si omnia, quæ hominem refrigerant & ne-  
cant, etiam cuncta animalia refrigerarent & ne-  
carent, sequeretur, etiam cicutam sturnos refri-  
gerare & necare, quoniam hominem refrigerat  
& necat. At consequens est falsum. Ergo & an-  
tecedens.

Consequens probatur.

Q. Sturnos alit, id illos neque necat, neque  
refrigerat. Atqui cicuta sturnos alit. Ergo illos  
neque necat, neque refrigerat.

R

Major

Major probatur dupliciter.

Primum: quod sturnos conservat, id eos non necat. At quod alit, conservat sturnos. Ergo quod sturnos alit, non necat.

Deinde: quod ἡσίων θερμῶν, calidam sturnorum substantiam quodammodo auget & custodit, id minimè refrigerat. Sed quod sturnos alit, calidam eorum substantiam quodammodo auget & custodit. Ergo quod eos alit, non refrigerat. Sturnorum autem corporis substantiam esse calidam, sic probatur.

Quæ res animalia sunt, & quidem sanguineas earum corporis substantia est calida: quoniam omne animal calorem habet, & illum quidem copiosorem, si sanguineum sit animal. ἐνναυγὰ enim ἀνείμους calidiora sunt.

At sturni sunt animalia, & quidem sanguinea. Ergo eorum corporis substantia est calida.

Quæres ulterius, quæ causa sit, quòd non omnia animalia ab iisdem medicaminibus eodem modo afficiantur, sed cuius animalis sua sint & medicamenta, & alimenta: ita ut quod huic est alimentum, alteri sit venenum & nocumentum. Cicuta enim, uti jam dictum, sturno alimentum est, homini venenum. Respondet Galenus, hujus rei causam esse, quòd in rebus omnib. sint οἰκειότητες καὶ μάχα ποιοῦντων, sympathiæ & antipathiæ qualitatatum. Συμπάθεια est cicute cum sturno, propterea illum alit. Ἀντιπάθεια est inter hominem & cicutam, ideo illum interimit.

Nam

Nam quod est ἰκκίον, familiare, promptè & expeditè assimilatur: quod ἰκκίον, contrarium & inimicum, ad internecionem ducit, tum plantas, tum animalia. Proficiscantur autem istæ ἰμοίοντες καὶ μάχαι à proprietate totius substantiæ: quam cum adversarij Galeni non intellexerint, multa falsa de complurium medicamentorum viribus protulerunt in medium: & quod uni tale est, v. g. vel alimentum, vel venenum, aliis etiam tale esse crediderunt. ἐν γὰρ ἔστι μόνον ἀσφαλὲς κελίπριον ἐν ἀυλοῖς, ἢ πρὸς ἀνθρώπων πείρα, una enim duntaxat examinandarum facultatum in simplicibus est regula, exploratio scilicet qua fit ad hominem. Talia quippe simplicia sunt, qualiter hominem afficiunt: dummodo semper id, quod est κατὰ συμβεβηκός, ab illo distinguatur, quod κατὰ αὐτὸ est. Cui distinctioni si quis animum intendat, is nec acetum, nec oleum rosaceum calidum unquam dicit: quippe cum utrumque nos refrigeret πρῶτος καὶ κατὰ αὐτὸ: acetum quidem ἰσχυρῶς, valdè & strenuè: rosaceum vero ἰσὺ ὀλίγον, leviter. Lib. 3. c. 6.

X.

Quæ judicanda sint mediæ esse temperaturæ? Illa, ait Galenus, mediæ temperaturæ esse, quæ nobis applicata sic actu sunt calida, ut nosmet ipsi, aut ex contactu similiter calida evadunt, ut nos. Hæc ipsa tamen non tantum mediæ esse temperaturæ dici possunt, sed etiam secundum se calida καὶ ἰσχυράτατα, quemadmodum & nos quoque.

At si quid nondum adeo calidum sit, ut nos, neque  
admodum tale reddatur, id humana natura est  
frigidius, quantumlibet in eo calor abundet. Nam  
admotum, calorem nostrum auferet. Id quod hoc  
exemplo fit perspicuum. Si enim duas aquas, qua-  
rum altera magis, altera minus caleat, inter se  
misceas, sane minus calens magis calentis calidi-  
tatem exolvat & debilitabit. Sic si in calidita-  
tem rosacei, quae tepida est, ut ad temperaturam  
humanam, caliditatem indideris humanam, omni-  
no huic aliquid detrahes, & refrigerabis. L. 3. c. 7.

XI.

Utrum ea, quae proprie & per se sunt ca-  
lida, cum calidioribus commista, frigidiora illa  
efficere queant? Galenus respondet, quae minus  
calida sunt, a magis calidis evadere calidiora:  
quae vero magis sunt calida, a minus calidis fri-  
gidiora reddi. Probat hoc primum ratione: dein-  
de veritatem hujus dicti exemplo tactus declarat.

Ratio est ista. Si ea est communis omnium  
alterabilium corporum natura, ut in se & agant,  
& a se invicem patiantur admota, sequitur, quae  
minus calida sunt, a magis calidis calidiora fieri:  
& contra, quae magis calida existunt, a minus  
calidis reddi frigidiora. At prius est verum. Ergo  
verum & posterius.

Tactum quod attinet, docet is, eadem subinde  
illi tum calida, tum frigida videri. Calidiori  
quidem facto frigida: frigidiori vero calida.  
Exemplum sit urina. Haec enim in balneis videtur  
frigi-

frigida esse, dum mingitur: extra balneā verò calida. Nam in balneis quidem, perinde ac extra balnea, tepida est: sed nos non equè externa corporis superficie, & dum lavamur, & ante lotionem affecti sumus. In balneo enim cum sumus, urinam sentimus frigidam: cum extra balneum, calidam. Ratio est: quoniam in balneo calidiores sumus urina: extra balneum verò frigidiores. Quod enim minus, quam corporis externa superficies, calidum sentitur, tactus pro frigido habet: quod verò magis calidum, pro calido.

Hoc ipsum etiam exemplo alio illustrari potest. Etenim, si lavando in balneo abundè incalueris, & vel manum, vel pedem in aquam modicè tepidam immiseris, aqua sanè non tepida, sed frigida apparebit. At si protinùs balneum ingressus aquam illam tetigeris, minus frigida videbitur. Semper enim quantò plus fueris precalefactus in balneo, tantò frigidior tibi aqua occurret.

Idem dogma etiam exemplo aquarum putealium declarare licet. Pleraque siquidem, quæ nimirum *βαθείας τρυγας*, profundos admodum fontes habent, hyberno tempore ad tactum tepidæ videntur. At si in balneo calidis eas manibus contingas, multòque magis si etiamnum in balneo versans illas contrectes, haud sanè tepida apparebunt.

Ex his consequitur, quòd si tactum, ejusque *διαθεσις* pro gnomone & norma, sive regula, in

Διαγνώσει caliditatis & frigiditatis in simplicibus  
 posuerimus, crebro admodum in errorem  
 lapsuri simus. Nam quod ex se frigidum non est,  
 id frigidum esse dicemus: quod vero calidum ex  
 se non est, id esse calidum pronuntiabimus. Hinc  
 fiet, ut dum in balneo lavamur, frigidam esse uri-  
 nam simus opinaturi: & contra, dum frigore ri-  
 gemus, aquam e puteis haustam existimaturi ca-  
 lidam esse. At si διαθέσεων, in quib. eramus, dum  
 utramque, urinam, & aquam putealem, contin-  
 geremus, fuerimus obliti, & solius illius sensus,  
 qui in nobis factus, meminerimus, periculum erit,  
 ne forsitan aquam atiquando ἀπλῶς dicturi simus  
 salidam: urinam vero frigidam: cum tamen neu-  
 tra ἀπλῶς, aut calida, aut frigida sit, verum ὡς  
 πρὸς ἡμᾶς. Nec ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀπλῶς, sed ὡς ἰπὸς  
 ἐχούσας, hoc videlicet modo affectos. Ἀπλῶς au-  
 tem utraque, qualis ad nos est, dici posset, si πρὸς  
 τὴν μέσσην, καὶ ἀρίστην ἡμῶν κρᾶσιν, ad mediam, eam-  
 que optimam corporis nostri temperiem confera-  
 tur: ut si ad hominem absolute expendatur, ad  
 ἰσχυρῶτον expendi deceat.

Ex dictis quoque patet, errata in iudi-  
 candis simplicium qualitatibus ex unico fonte  
 scaturire, quod Medici vocabula primarum qua-  
 litatum minimè distinxerint. Nam nisi illa dili-  
 genter distinguamus, & quot modis dicantur, co-  
 gnitum habeamus, necesse sanè est, ut homonymiæ  
 istorum nominum nos decipiant, Calidum quip-  
 pe, frigidumque vel ἀπλῶς, absolute dicitur, vel



ἐπικρασία, per exuperantiam: & aut πρὸς τὸ  
σύμμετρον ὁμοειδῆς, ad symmetricum sui generis  
comparatum: aut πρὸς τὸ σύμμετρον ὁμοειδῆς, ad  
temperatum sue speciei: aut πρὸς ὅτιεν τὸ ἐπιλυ-  
χόν, ad quodvis obvium collatum. Verum pluries  
jam dictum, diciturque etiam deinceps, quod de  
medicamentorum viribus judicandū sit in quar-  
ta & ultima tactilium qualitarum significatio-  
ne. Lib. 3. c. 8.

## XII.

Quæ igitur hac in doctrina calida, frigi-  
da, humida, aut sicca dicenda sint? Sapius hoc  
dictum, quod nunc repetitur. Alio namque modo  
Physici corpora talia esse asseverant: alio Medici.  
Non enim Physico um more hęc queritur, an ali-  
quid, v. g. ἀπλῶς calidum sit, ut ignis: an per  
ἐπικρασίαν? Neque rogatur, num calidum sit  
ad symmetricum sui generis, ut leo in animalibus:  
aut tale sit ad symmetricum sue speciei: ut quod  
in florenti est etate constitutum in quavis specie  
ad etate provectorum: sed queritur, an πρὸς ἀν-  
θρώπον tale existat? Neque rursus ad hunc, tan-  
quam ad id, quod ad aliud aliquod corpus com-  
paratur: sed τῆς δυνάμει, h. e. si ipsi admotum  
eam partem, quam tetigerit, reddat aut calidior-  
rem, aut frigidiorrem, aut humidiorrem, aut sicco-  
rem. Quod enim simplex hominem hac, vel illa  
qualitate alterat, id respectu illius tale, vel tale  
esse statuitur.

Si roges, quo instrumento hæ facultates co-  
gnoscantur

gnoscantur? Respondet Galenus, non Ratione, ut plerique facere Medici veteres solebant: sed Experientia. Hæc enim certissima est & inventrix, & dijudicatrix qualitarum & facultatum in simplicibus & compositis medicamentis. Et enim, si cognoscere volueris, an Rosa frigida sint, an calida? nequaquam Ratione à colore, odore, alijsque accidentibus petita, uteris: sed experientia & praxi. Deprehendes enim, eas quocunque modo paratas, & capiti applicitas, æstuantem illius calorem extincturas. Licebit enim ex illis contexere coronas, & exprimere succum, & conficere oleum, & parare oxyrrhodinum: hæcque vel capiti imponere, vel illinire, vel affundere, vel alio quovis modo usurpare. L. 3. c. 9.

### XIII.

Cùm medicaminum qualitates & facultates experientia sint dijudicandæ, & quidem in homine, quæritur, in quonam homine? Ad hoc problema respondet Galenus, explorandas esse in homine utroque, sano, & ægro, sed in eo potissimum, qui quàm maxime simplici tenetur ægritudine, eaque aut calida, aut frigida, aut humida, aut sicca. Ita enim si judicaveris, Oleum neque calidum, neque frigidum, ut ad hominem εὐχραλον, invenies. Rosaceum verò aliquatenus eo frigidius, non autem vehementer frigidum deprehendes, sed ordine primo. Quemadmodum enim alia aqua exquisitè temperata est, alia aut calidior, aut frigidior, non adeò tamen, ut possis extreme

tremè frigidam, vel calidam dicere: sic in medi-  
camentis quoque oleum media est temperatura.  
At rosarum succus frigidior, quidem est, at non  
insigniter, sed tepidi quasi caloris. Eiusdem cum  
illo ordinis est  $\lambda\nu\acute{o}\sigma\pi\epsilon\rho\mu\omicron\nu$ . Verùm substantia con-  
stat crassa: rosarum succus tenui: id quod trib.  
probari potest rationibus. I. quia celerrimè are-  
scit. II. quia nil viscositatis habet. III. quia  
unguentorum, quib. permiscetur, odores exoluit.  
Cujus rei causa est, quòd odor ejus meatus opple-  
re præoccupet. Nam cum unguenta transire ac  
penetrare promptè nequeant, fit, ut odor succi  
rosarum præoccupet, illosque impleat.

Est & Chamæmelum tenuitate quidem rose  
persimile, calore verò ad olei vires magis accedit:  
ejusque vires emulatur. Hinc lassitudini cumpri-  
mis confert: dolores mitigat: tensa remittit &  
laxat: quæ mediocriter dura sunt emollit: quæ  
constipata rarefacit: febres, quæ inflammatione  
visceris alicujus carent, soluit: illas maximè, quæ  
ex humoribus biliosis, aut cutis constipatione &  
densitate proveniunt. Quo nomine ab Aegyptio-  
rum Sapientib. consecratum est Soli, februmque  
omnium creditum remedium. Sed à veritate ab-  
errant. Dictis enim febribus,  $\pi\epsilon\pi\alpha\sigma\mu\acute{o}$  humorum  
peractò, prodest plurimùm: quamvis & melancho-  
licas, & phlegmaticas juvet.

Simile chamæmelo est lini semen: perinde ut  
illud visceribus hypochondriorum gratum: minùs  
tamen chamæmelo. Minùs quippe calidum est, &

R § præte-

præterea essentia crassa. Rosa istis duob. simplicibus propinqua non est. Ipsa tamen etiam quo ad caloris mediocritatem, & essentia tenuitatem, inflammationib. hypochondriacis prodesse possit, nisi adstrictione sua lederet. Chamamelum autem is confert plurimum: quoniam, uti dictum, densata corpora rarefacit: indurata mollit: tensa relaxat: quib. omnibus inimica est adstrictio, quæ rosis inest. Rosaceum rursus chamamelo præfertur in augmento inflammationum, præcipue illarum, quæ externas occupant partes. Hæ enim tepida caliditate levique adstrictione egent. In principio enim inflammationum necessaria sunt refrigerantia & adstringentia. In augmento tepida & mediocriter adstringentia. In vigore moderate calefacientia & laxantia. In declinatione calefacientia, & valenter discutientia. Lib. 3. cap. 10.

#### XIV.

An quæ mediæ sunt temperaturæ medicamina, & quæ utramvis in partem leviter declinant, aliàs aliter agere, ipsaque corpora diversimodè alterare possint? Omnino. Nam quæ talia sunt, interim calefacere videntur, rursusque refrigerare: interim verò neque calefacere, neque refrigerare, sed sicuti corpora invenerunt & acceperunt, ita illa servare. Hujus rei exemplum habuimus supra in aqua tepida & urina. Hæc enim in balneis frigida, extra balnea, cum algemus, calida apparent. Causa autem

rem diversa istius operationis est diversa corporum dispositio. Cum enim illa diversis subinde modis sint disposita, fit, ut id, quod illa afficit, diversimodè agat & operetur. Declarari hoc potest exemplo rose, chamameli, sem. lini, anethi, farina fœnogræci, aut tritici &c. quæ partim exquisite sunt temperata, partim à media temperatura paululum recedunt. Non enim eandem ubique actionem edunt: quia nec sani omnes eandem usque obtinent: nec usdem morbi egri omnes affliguntur. Sic Rosaceum mediam inter oleum & rosarum succum temperiem obtinens: (illo enim minus est calidum: hoc autem magis calidum) refrigerat quidem exustos, idque ob teporem, h. e. remissum calorem: algentes verò paululum quoque calefacit. Nam & hic quoque affectus est caloris tepidi. Balnea præterea tres præcipuas, rigentes quidem calefaciunt: estuantes verò refrigerant, Lib. 3. c. 11.

#### XV.

Qualia sint corpora, quæ curantur, & alterantur, & medicamenta, quæ curant & alterant? Ambo à mediocritate recedunt, sibiq; invicem sunt contraria. Verùm recessus iste medicamentorum sic comparatus esse debet, ut novam intemperiem minime introducat. Sunt ergò hæc propositiones diligenter annotandæ.

I. Medicamentum alterans debet esse corpori alterato contrarium.

II. Medicamentum alterans non debet esse  
tempe-

temperatum in qualitate morbo contraria.

III. Medicamentum alterans debet esse multo calidius, si intemperies curanda multo sit frigidior: & vice versa, debet esse multo frigidius, si intemperies multo sit calidior. Breviter, tanto debet abesse à mediocritate in qualitate contraria, quanto ipsa intemperies à symmetria distat.

IV. Medicamentum alterans non debet in contraria qualitate modum nimis excedere.

Prima sic probatur. Quod alterum debet tollere, & ad symmetriam reducere, id tenetur illi esse contrarium. Nam si simile sit, non tollit, sed fovet atque conservat. At remedium alterans intemperiem corporis tollere debet, & ad symmetriam reducere. Ergo debet illi esse necessarium.

Secunda hunc in modum. Q. nullam invehit alterationem, & proinde neque ledit, neque juvat, id ad submovendum affectum idoneum non est. At medicamentum, quod contrarium quidem est, sed in contrarietate medium, sive temperatum, nullam invehit alterationem, ac proinde neque ledit, neque juvat. Ergo ad submovendum affectum idoneum non est.

Minorem Galenus exemplo olei rosacei, quod tepidum est, declarat. Hoc enim, si aut refrigerantibus, aut calefacientibus indideris medicamentis, neque magnoperè offendes, neque admodum proderis: quia tepida, h. e. temperata & moderata caliditas nec sufficiens est, ut quæ refrigerata sunt ledat: nec potens, ut illa curet. Agens enim

enim fortius esse tenetur patiente. Eadem enim  
hęc ratio est, ac si frigidam aquam velis reddere  
temperatam. Non enim temperata aqua illi per-  
miscenda est: quia hac ratione gelida aqua fiet  
tepidam, & inter frigidam & calidam media. Sed  
fervens aqua illi infundenda est.

Tertia hoc argumento. Inter quę certa de-  
bet esse proportio, eorum si alterum sit intensum  
& vehemens, alterum quoque tale esse necessum  
est: & contrā, si alterum sit remissum, & pa-  
rum à mediocritate absit, alterum quoque tale  
sit oportet. At inter agens & patiens, & conse-  
quenter inter alterandum & alterans, certa de-  
bet esse proportio. Ergo quantum alterum re-  
cessit à mediocritate, tantum & alterum ab ea  
in contraria qualitate recedere debet.

Nam si alterans alterando sit par, aut suppar,  
nihil conducet, quia neutrum intemperiem è me-  
dio tollet.

Quarta hoc medio. Q. ledit, & intempe-  
riem introducit novam, id conveniens remedium  
non est. At medicamentum, quod v. g. in calo-  
re, aut frigore, intemperiem calidam aut frigi-  
dam longè & multis modis superat, ledit, novam-  
que intemperiem invehit. Ergo conveniens non  
est remedium. Lib. 3. c. 12.

#### XVI.

Verúmne, quòd alia corpora ab eodem  
medicamine calefiant: alia refrigerentur: alia  
neutrum patiantur? Galenus dicit, hoc videri  
posse

posse absurdum. Ridiculum etiam, si quid, quod calefacit, frigidum dicamus. Sed nihil absurdi esse profiterur, nullamque implicari contradictionem monet: quoniam τὸ calidum, frigidum, humidum, & siccum non uno eodemque modo accipiuntur: verum modo ἀκριβῶς, καὶ κυρίως, modo ἀκρίτως καὶ καλαχρησικῶς. Etsi enim leve quid & exile esse videatur, nominum significata distinguere, tamen διάκρισις ista maximum habet momentum ad rerum cognitionem acquirendam. ἢ γὰρ τῶν ὀνομάτων χρῆσις ταραχθεῖσα καὶ τῶν πραγμάτων ἐπιλασάτλη, perturbatus enim nominum usus rerum quoque unam notitiam perturbat. Hocque non modo verum est de qualitatibus activis, caliditate & frigiditate, improprie usurpatis, sed etiam de passivis, siccitate & humiditate. Nam & τῶν ὀνομάτων συχυθέντων, καὶ ἢ τῶν πραγμάτων γνώσις συνεχύθη, harum qualitatem nominibus confusis, rerum quoque notitia confusa est.

Causa igitur, quod corpora diversa ab uno eodemque medicamento diversimode alterari dicantur, est, quoniam qualitates activae & passivae non recte distinguuntur, sed improprie usurpantur. Nam, ut de activis jam loquamur, quod est συμμέτρως κεκραμμένον, mediocriter calidum, interdum θερμὸν, calidum appellamus: ut balneum & potum. Deinde calidum quoque vocamus, quod est θερμότερον, calidius.

Verum, si ἀκριβῶς nominibus utamur, τὸ σύμμετρον



μεσοον non calidum, sed εὐκταλον, temperatum  
dicimus. Quod verò ab hujus mediocritate re-  
cedit, & ἀμεσποτερον est, si ad θερμότερον ἀμε-  
τρον, calidius immoderatione sua accedat, tùm  
magis, tùm minus calidum appellamus. Sin ad  
frigidius inclinēt, magis minusq; frigidū vocetur.  
Exempli gratia, si de medicamento propriè & ac-  
curatè loquendum sit, quoddam nominamus εὐ-  
κταλον καὶ μέσον, velut Oleum. Quoddam verò,  
quod oleo calidius est, calidum nuncupamus, ut  
σένυμγρακον. Sin frigidius sit oleo, frigidi no-  
men illi imponimus, qualis est rosa. Atque hæc  
nominum καλὰ χροῖς causa est, quòd non omnia  
corpora à medicamento ejus generis refrigeren-  
tur, quale est rosaceum. Nam cùm alia, perinde  
ut ipsum, sint frigida, alia etiam frigidiora, illa  
quidem planè ne alterat quidem, hæc verò etiam  
calescit, sed suo modo: ne absurdum videatur,  
si quod calefacere confitemur, frigidum tamen  
vocemus, ac si quis aquam putealem, quæ hyeme  
manibus refrigeratis tepida videtur, frigidam  
appellitet.

Quapropter distinguenda sunt qualitatum no-  
mina, & propriè accipienda. Sic enim, quod εὐ-  
κταλον est, minimè dicitur calidum: quod cali-  
dum, non refrigerare statuetur. In memoriam  
quoque revocandum, humana corpora plurimùm  
inter se temperaturis differre, tùm illis, quas ab  
ortu, tùm quas ex ætate, tùm quas ex vitæ insti-  
tuto acquisiverunt; & deprehendetur, ea ab ijs-  
dem

dem medicamentis variè alterari. Lib. 3. cap.  
12.

XVII.

Cùm dictum jam sit aliquoties, medica-  
menta talia, vel talia dici, πρὸς ἄνθρωπον, ad  
hominem, qualiter nimirum ipsum afficiunt:  
hominum autem temperatura sit varia, non  
immeritò quæritur, ad cuiusnam hominis  
corpus medicamenta referenda sint, h. e. cu-  
jus hominis ratione, illa dicenda sint vel ca-  
lida, vel frigida, vel humida, vel sicca? Ad  
istud quæsitum respondet Galenus, medicamenta  
dici debere calida, frigida, humida, aut sicca  
πρὸς ἄνθρωπον μέσον, τὴν τε φύσιν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς  
εὐκράλον, ἕθει δὲ προσήκουσιν τὴν εὐκράσιαν ταύτην  
διαφυλάττοντα, ad hominem medium, qui & natu-  
râ statim à nativitate sit temperatus, & qui  
hanc temperiem bonis moribus & decenti consue-  
tudine custodiat atque conservet. Ejusmodi ho-  
minis corpus, quod est omnibus numeris absolutum,  
quod simplex, quod unum, quod optimum, κατῶν,  
regula, καὶ σκοπὸς medicamentorum statui debet,  
cujus ratione illa talia, vel talia dicenda: non  
ἀμείζον καὶ δύσκραλον, quod numero fermè infini-  
tum est: idque remedium statuendum εὐκράλον,  
quod similem illius temperature calorem infert,  
licet senem refrigeratum quam maximè excal-  
facere videatur. Quod verò tale corpus calefa-  
cit, aut refrigerat, illud quidem calidum, hoc ve-  
rò frigidum vocandum.

Cùm

Cum verò medicamenta non equali modo parique mensura calefaciant, refrigerent, siccent, aut humectent omnia, sed alia magis, alia minus, intensius scilicet atque remissius hæc præstent, ideo etiam à τὴν καὶ ἀποσάσεις, gradus & ordines qualitatum in singulis simplicibus cogniti esse debent: id quod hoc argumento probatur.

Quarum rerum notitia non exiguum habet in medendi methodo usum, illa in promptu nobis esse debet. At notitia graduum & ordinum in qualitatibus simplicium haud exiguum habet usum in medendi methodo. Ergo eorum notitia debet nobis esse in promptu.

Minor clara est ex præcedentibus, ubi dictum, curationem fieri per contraria: sed non per superaria, neque per valde excellentia & modum excedentia, verum per equalia. Prima enim affectum minime tollunt. Secunda tollunt quidem illum, sed novum introducunt. Tertia verò curant, excessumque auferunt.

Merito ergo Galenus eos omnes reprehendit, qui in doctrina de simplicium facultatibus generali solummodo qualitatum cognitione contenti fuerunt, nihil quicquam de speciali, & de singularum qualitatum gradibus solliciti.

Ipsè verò multò labore, multoque sudore gradus istos experientia inventos edocuit. Hanc enim pro iudice eorum semper habuit: ratus, illam tutissimam certissimamque facultatum iudicatricem esse. Verum de graduum istorum dif-

S

feren-

ferentijs, ut & de saporum viribus dicitur libro  
quarto: de secundis ac compositis medicamento-  
rum facultatibus libro quinto in genere: in spe-  
cie autem de singulorum qualitatibus & facul-  
tatibus libris reliquis: hoc autem libro tertio quæ  
adhuc supersunt ad totam velut elementarem  
constitutionem, h. e. ad primarum qualita-  
tum & facultatum, quæ aliarum veluti prin-  
cipia & elementa sunt, explanationem, ut pro-  
blemate primo dictum, absolvenda sunt. Lib. 3.  
cap. 13.



## COROLLARIA.

### I.

**A**N quæ tenuia & aërea sunt facile ac-  
cendantur? Sic planè videtur. Probant hoc  
exempla stipularum, plumarum, lana, gossypij,  
straminis, &c. Probat & ratio: quoniam talia  
propter tenuitatem & raritatem substantiæ suæ  
flammam facile concipiunt, præsertim si etiam  
sicca fuerint.

### II.

An quæ facile concrescunt sint frigida?  
Facile quidem concrescunt butyrum, oleum, pin-  
guedo, cera, pix, resina liquata &c. verum frigi-  
da non sunt. Aqua autem citò coit & conge-  
lascit.

lascit. At frigida est. Itaq̄, citā concretio tam in frigida, quam in calida corpora cadere videtur.

### III.

An omnia, quæ lubrica, sint frigida? Lubrica, schlüpfferig / glatt / propriè dicuntur, quæ à manibus nostris contrectata & comprehensa facile effluunt & elabuntur. Sed non videntur frigida esse omnia: neque omnia calida. Ex lubricis enim calide nature sunt oleosa & pingua. Ex lubricis frigidi sunt temperamenti glacies, & quæ viscosam, glutinosam, mucosamque habent superficiem, ut anguilla.

### IV.

Quot modis res coire & concrecere soleant? Tribus modis: vel ob frigus: vel ob crassitiam: vel ob viscositatem & glutinositatem substantia. Primo modo aqua & aquosa omnia corpora coeunt & concrescunt. Secundo oleum, pinguedo, pix &c. Tertio pituita, mucus.

### V.

An omnia, quæ crassa sunt, terrena sint? Quæ dura sunt & crassa, quæ talia, terrene sunt natura: ut metalla, lapides, ligna. At quæ crassa tantum sunt, non dura, non sicca, haud terrena videntur. Sanguis enim venosus crassus est, non tamen terrea nature. Et quedam bilis flava similiter crassarum est partium, non tamen terrena. Crassum quoque est oleum commune, non tamen terrea substantia.

## VI.

Quid apud Hippocr. l. de aër. aq. & loc. sit aqua dura, mollis, alba, dulcis? Aqua dura ea dicitur, quae est ἀτέπαινον, frigida valde & cruda, quaeque & calori, & concoctioni rebellis est: qualis est, quae ex petris scaturit. Mollis illa creditur, quae pigra, tarda, reses omnino & stagnans, limosa item & lutosa. Alba statuitur, quae clara, pura & limpida. Dulcis, non quae sapore dulci praedita (bona namque aqua debet esse ἀσπαστος, omnis saporis expers) sed quae gustui grata.

## VII.

Quid apud eundem l. 6. epid. sect. 4. aqua vorax? Respondemus cum Galeno ex comm. 4. in lib. 6. epid. §. 20. Voracem dici aquam ab Hipp. causaliter & effectivè, quia facit, ut homines multa cibaria appetant atque ingerant, h. e. edaces fiant: idque eam ob causam, ob quam cibi refrigerantes & adstringentes appetitum ciborum excitare solent: ventriculum scilicet constringendo ejusque tunicas cogendo. Ut enim, inquit idem l. 1. de sympt. causis c. 7. calefacientia appetitum ciborum deiciunt, solida corpora dissolvendo, & ad attractionem imbecilliora reddendo: sic refrigerantia eundem excitant, ob causam allatam. Hinc idem in μικροτέχνων c. 62. scribit, frigidum quidem ventriculum magis conducere ad ciborum appetentiam, quam ad eorundem concoctionem: sed calidum ventriculum plus conferre ad ciborum ἀσπαστον, quam illorum ἀτέπαινον.

8. An

### VIII.

An verum, quod Hippocrates l. de vict. in morb. acut. in medio ferè scribit, Aquam billescere? Loco citato ita divinus Senex loquitur. Aqua in morbis acutis sitim exacerbatur: natura biliosa biliosa est, & hypochondriis mala. Imò pessima sit, ac biliosissima, viresque maximè prostermit. Splenem insuper & hepar auget, ubi inflammatum fuerit. Fluctuationem quoque parit in ventre. Adhuc tardè transit, quoniam frigida, cruda, incoctilis, & neque per alvum secedit, neque per meatus urinarios permeat, neque feces alvi educit. Queritur ergò, quomodo billescat, cum nihil cum bile affinitatis habeat? Responderetur, billescere aquam, non quòd symbolas habeat qualitates cum bile, earumque causa facile in bilem vertatur: sed billescere solùm per accidens, quatenus à bile in corpore præexistente corrumpitur, & bile inficitur. Præsupponit enim Hippocrates morbum acutum, v. g. inflammationem pulmonum, hepatis, aut splenis, multamque esse in ventriculo & hypochondriis bilem. Iam cum aqua tardè permeat, agrè descendat, diuque in ventriculo, intestinis & hypochondriis moretur, fit, ut à bile in hisce partibus contenta biliosa illuvie imbuatur: & postea recensita ab Hippocrate mala inducat. Nam Galenus comm. 3. in lib. de vict. ac §. 40. docet, aquam neque incidere, neque attenuare, neque detergere. Ideoq; bile infectam sitim causare: sputum in peripneumonia non

promovere: multoq<sup>3</sup>, minus, crassa & frigida cum sit, & ob id tardè transeat, sudores movere, aut urinas pellere. Denique cum non alat, neq<sup>3</sup> vires reficere & refocillare.

IX.

Quid de Salamandra statuendum, quam Galenus c. 6. hujus libri tertij dicit in igne vivere posse? Hoc non solum de Salamandra scribit Galenus, sed etiam Aristoteles l. 5. hist. an. c. 19. Nonnulla, inquit, animalium esse corpora, quæ igne non absumentur. Documento esse Salamandram: quæ, ut ajunt, ignem extinguat, quando per illum inambulat. Plinius l. 10. c. 67. consentit. Salamandra, ait, animali lacerti figura stellato tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quàm glacies. Eandem sententiam confirmat etiam Ælianus l. 2. de animal. c. 31. Ex animalibus, ait, tametsi Salamandra non sit, quæ ex igne nascuntur, quales sunt οἱ καλόμενοι πυρίονοι: contra tamen hunc ire audent, contraque illius flammam veniens, tanquam adversus quendam hostem, sic eam expugnare aggreditur. Cujus rei testimonium fabri, quorum opera atq<sup>3</sup> artificium igne nititur, asserunt.

In eadem opinione, quòd Salamandra in igne vivat, ignemque restinguat, sunt alij quoque aucthores plurimi.

Dioscorides autem l. 2. c. m. 54. monet, frustra creditum esse, Salamandram ignibus non uri. Falsum quoq<sup>3</sup> esse tacitè innuit, hoc fieri propter  
exire-



extremam illius frigiditatem & humiditatem. Habere enim vim exedentem, calefactoriam, & exulcerantem: ac ob id in medicamenta addi, quorum vis est exedere, lepras abolere, & pilos evellere, non secus ac cantharidas. Probat id etiam effectis aliis lib. 6. c. 4. quoniam hausta linguam inflammet, mentemque & sermonem praeediat.

Dioscoridi suffragatur Matthiolus, qui coniectam in ignem Salamandram brevi vidit combustam.

Scaliger exercit. 74. s. 3. exemplum proponit cujusdam lapidis, qui quod fortiter igni resistat, *πυριμάχου* nomen acceperit. Ab igni enim, ut docti quidam ajunt, nihil patitur: ac ne quidem ab illo calefieri potest, ut addunt alij. Ideoque subdit Scaliger, neque de Salamandra fabulam esse, quod ignis ab eo extinguitur. Salamandram enim refert idem exercit. 185. prunis injectam eas extinxisse. Arbitratur autem, hoc non fecisse frigiditate sua, sed lentore: id quod ab alijs quoque fieri solet carnibus. Ipsam tamen interuisse dicit. Proin Nicandrum illam *λιπόρρινον* appellasse, quod pingui esset corio, h. e. *λιπόδεςμον*. Ab eo enim talem dimanare humorem, qualis mucus est, qui e naribus effluere solet.

Nos Salamandram in igni vivere & nutrir negamus. Quo enim queso pabulo in igni nutrietur? Ignine? At is in animalis substantiam verti nequit: quia vinci & coqui a calore animalis perquam frigidi non potest. Est enim illo  
longe

longè potentior. Pabulone alio; vel à plantis, vel ab animalibus petito? Sed tale ab igni planè consumitur, ut nihil alenda Salamandra sit reliquũ.

Deinde inficiamur, eam extrema corporis sui frigiditate ignem extinguere. Tamen si enim animal frigidum esse concedamus, quod pigra sit, tarda que, & frigida, humida atque opaca loca incolat, foris quoq; contrectata actu frigida sentiatur, tamen tantam in vivo animali frigiditatem esse minimè credimus, quæ ignem, elementum calidissimum, extinguere queat. Nulla enim animæ actio in vivente corpore sine calore obiri potest. Est namque calor secundum Aristotelis placitum l. 1. part. an. c. 7. ὄψωνος ad quævis animæ officia exequenda ἐπιπέλιχότατος.

Concedere igitur possumus, Salamandram transire posse ignem, sed diu in illo morari & vivere non posse: multoq; minùs in illo ali.

Admittere quoque licet, Salamandram ignem delere, verùm, non frigiditate sua, sed vel saliva oris, vel humore alio ab ea in ignem defluente: quemadmodum ex Scaligero dictum.

Dari & istud potest, quòd Salamandra tandem in igne pereat & comburatur. Id quod à vro. Lia propria confirmare possumus. Nam si verà Salamandra est, quam Gesnerus l. 2. de quadrup. Ovip. priori loco, & Ulysses Aldrovandus l. 1. de quadrup. digit. ovip, c. 8, describunt, testamur, & nos illam vidisse, prunis obruisse, & intra exiguum tempus neci dedisse.

F I N I S.

24d 2663

ULB Halle 3  
006 549 195



1009

MA

6







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO  
DE  
POLICIUM  
AMENTORUM  
ULTATIBUS  
VIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
*Libri tertij Galeni de sim-  
dicamentorum facultati-  
is deprompta:*

ET  
in gratia in inclyta Argen-  
Universitate proposita

à  
DOCTORE SEBIZIO,  
ET PROFESSORE  
Comite Palatino Cæsa-  
Reipubl. Archiatro:  
*respondente*  
ANDREA PLANERO,  
SILINGENSI.

—  
MENTORATI,  
HARDI WELPERS,  
DC. XLVIII.

9